



UNIVERSITÄTS-  
BIBLIOTHEK  
PADERBORN

## Universitätsbibliothek Paderborn

### **Lignvm Vitae, Ornamentum, & Decus Ecclesiae**

In Qvinque Libros Divisvm. In quibus, Totius Sanctiss. Religionis Divi Benedicti initia; Viri Dignitate, Doctrina, Sanctitate, ac Principatu clari describuntur: & Fructus qui per eos S. R. E. accesserunt, fuissimè explicantur

**Wion, Arnold**

**Venetiis, 1595**

D. Hermanus contractus monachus: antiphonaru[m] Salve Regina, & Alma rede[m]ptoris, prius auctor: Astra labijque illustrator præcipuus. cap. CV.

**urn:nbn:de:hbz:466:1-38397**

eorum etiam errorem incideret ; Hispanum affirmare ausus non est , sed ex partibus tantum Hispania egressum . Hec de patria breuiter diximus ; de monachismo eius omnes consentiunt , licet aliqui priorem uitam reticentes , posterioris , Eremitice videlicet , solum meminerint . Auctorem uero , & Inuentorem primum huius formulę Deum per lapillos orandi fuisse , affirmant . Pontacus in Chronologia ; Polydorus Virgilius de inuent. rer. lib. 5. Frater Ioannes de Pineda , ord. S. Francisci monarchie Ecclesiasticę , lib. 20. cap. 2. §. 4. & alii nonnulli .

D. HERMANNVS CONTRACTVS  
Monachus : antiphonarum Salue Regina ,  
& Alma Redemptoris , pius auctor ;  
Astrolabijque illustrator ,  
præcipuus .

*Qui cum adhuc iunior esset , priusquam oberraret , quæsiuit Sapienciam palam in oratione sua . Eccles. 51 .*

Cap. CV .



**V** T tempore & loco , sic professione & ingenio , proximus Petro est Donnus Hermannus cognomento Contractus : Hic enim non longe ab eo in monachali veste , tabulam lapideam bipartitam , in superiori parte Imagine Diuę Marię , in inferiori autem Astrolabio decoratam , in manibus tenens positus , eodem cum eo seculo claruit , & ut in proposito monachalis , sic & in inuentionis genere focius fuit , cuius doctrina eo mirabilior fuit , quod eam insigni miraculo adeptus est . Natus enim in Sueuia , ex illustri Veringensium comitum sanguine , ab ipsa incunte ætate omnib. mēbris ita captus est , ut ab illo mēbrorū uitio , nomen , qđ prædiximus , Contracti acceperit : quā fortē ob causā monasticę vitę in monasterio diuitis Augię ( in quod olim non nisi principum , comitum , atque magnatum liberi recipiebantur , exclusis ingenuis , & humilioris gradus hominibus ) ordinis Diui Benedicti , congregationis Cluniacensis , traditus ; cum natura hebeti ingenio esset , multis precibus , meritis Beatę Virginis a Deo optationem impetrauit , vel sani & inuiolati corporis , uel mēbris omnibus præter



præter linguam inualidi, ingenii tamen sapientia & eruditione ex-  
culti: quod posterius cum delegisset, ab eo tempore tales ac tan-  
tos progressus in omni litterarum genere facere cœpit, & linguas  
latinæ, Græcæ, Hæbraicæ, & Arabicæ (quas ita callebat ut in iis na-  
tus putaretur) artibusque, ac disciplinis tanto fideliores nauavit  
operam, ut neminem in his superiorem nædum æqualem habere  
crederetur, adeo ut corporis sui defectum, mentis uiribus opibus-  
que sarciret. Sanè in infelici corporis structura, felicissimum inge-  
nium delituisse, lucubrationibus suis testatum fecit: ita ut Bertol-  
dus eius continuator, & contemporaneus, de eo scribere non dubi-  
tet, omnes illum sui temporis viros, sapientia & virtutibus præcel-  
luisse. Scripsit carmine, & prosa multa præclara volumina, de qui-  
bus ista feruntur,

De sex mundi ætatibus Chronicorum, lib. 1. qui excusus est  
Basileæ cum Eusebio, anno 1536. in fol. & denuo cum no-  
uo quodam alio Chronico, cum Othone Frisingensi, & a-  
lijs, Francofurti, anno 1585. in fol. ante uerò ibidem cum  
alijs Scriptoribus Germaniæ anno 1583. in fol.

De Musica, lib. 1. De quadratura circuli, lib. 1.  
De Monochordo, lib. 1. In consideranda. De Eclipsibus, lib. 1.  
De cõputo, lib. 1. De Physiognomia, li. 1. Clari uiri, & prudentis.  
De conflictu Rithmomachia, lib. 1.  
De uitis plurium Sanctorum, lib. 1.

Hymni, & prosæ variæ, inter quas *Aue præclara*. De S. Ma-  
ria quæ cantabatur olim: In eiusdem Assumptione & *Rex*  
*omnipotens*, quæ dicebatur in Ascensione Domini. Anti-  
phona, *O gloriosum lumen*.

Historiæ, siue officia Annunciationis Beatæ Mariæ Virginis;  
& S. Mariæ Magdalene: & Responsorium, *Simon Bariona*.  
Transtulit, & de Arabica in latinam linguam, Rhetoricam,  
& Poësiam Aristotelis; & item de Astronomia, quantum  
ad rationem computi Ecclesiastici pertinet, uaria.

Composuit & de Cõpositione Astrolabii lib. 3. In metienda.  
De utilitate Astrolabii, lib. 1. Quicumque Astronomicæ.

Horum librorum ratione, Astrolabium in tabula depictum ge-  
stat; eos enim tanta maiestate composuit, & quæ de Astrolabio  
scripsit, tantæ utilitatis fuere, ut a multis, inter quos sunt Duran-  
dus de diuinis officiis lib. 4. c. 22. & Antonius Demochares de fa-  
ctis, missa, Tomo 4. c. 15. auctor ipsius Astrolabii fuisse reputetur,  
sic



sic enim loquuntur; *Sed & Hermannus Contractus Theutonicus inuentor Astrolabij, &c.* quæ eorum uerba non eo sensu accipienda iudico, quem præ se ferunt, sed sic intelligenda, ut dicamus Hermannum nostrum, qualiter componatur Astrolabium (quod usq; ad sua tempora si non ex toto, saltem ex parte occultum erat) docuisse, & multa noua in eo reperisse, quæ intelligentiam eius faciliorem reddebant; nam Astrolabium multis ante sæculis, quam ipse uiueret, fuisse repertum, legentibus historias manifestum est.

Ex sententia eiusdem Democharis eodem loco, eius est & sequentia illa quæ quotannis in solennitate Pentecostes, & per eius octauam, ab Ecclesia sacrosancta in Missæ officio sollemniter decantatur, uidelicet;

*Veni sancte Spiritus, & emitte cælitus, lucis tue radium.*

*Veni Pater pauperum, Veni dator munerum, Veni lumen cordium, Consolator optime, dulcis hospes animæ, dulce refrigerium.*

*In labore requies, in æstu temperies, in fletu solatium.*

*O lux Beatissima, reple cordis intima, tuorum fidelium.*

*Sine tuo Numine, nihil est in lumine, nihil est innoxium.*

*Laua quod est sordidum, riga quod est aridum, sana quod est sanctum.*

*Flecte quod est rigidum, foue quod est frigidum, rege quod est denium.*

*Da tuis fidelibus, in te confidentibus, sacrum septenarium.*

*Da virtutis meritum, da salutis exitum, da perenne gaudium.*

*Am en.*

Inter omnia autem quæ scripsit & composuit, nihil ita resplendet, ac sacrosanctæ Ecclesiæ matri utilius, & monastico Ordini gloriosius fuit, Antiphonis illis dulci, & regulari melodia ab eo inuentis & compositis, quibus ipsa Dei mater toties salutatur, & ueneratur, uidelicet,

*Salue Regina, Mater misericordiæ; Vita dulcedo & spes nostra, Salue.*

*Ad te clamamus exules filij Euæ.*

*Ad te suspiramus gementes & flentes, in hac lachrymarum ualle.*

*Eya ergo aduocata nostra, illos tuos misericordes oculos ad nos conuerte.*

*Et Iesum benedictum fructum ventris tui, nobis post hoc exilium ostende.*

Quod



Quod Canticum (ut narrat R. P. Franciscus Costerus in præfatione meditationum huius canticus) usque adeo statim Ecclesie proceribus & Episcopis probatum fuit, ut cum priuatim illud recitandum populis sibi creditis commendarent, tum in templis passim decantandum proponerent. Auxit deinde rem eandem Beati Bernardi Clareuallensis Abbatis in Virginem MARIAM præclara deuotio, qui aliquot concionibus ad Monachos suos, hoc Canticum mitis præconiis enarrauit, in eoque nihil ipse reperit, quod iniuriæ afferret Christo, nihil quod indignum Virgine, nihil quod a ueritate uideretur alienum: sic enim inter cætera de eo loquitur, serm. 1. de Salue Regina: *Dulce canticum, ac nobilissimum melos, a summis labijs effusum uenit, a sanctis compositum, a sanctis institutum, digne frequentabitur etiam à sanctis; & uere nisi a Religiosis, & affectione sancta feruentibus, nec subtiliter intelligi, nec efficaciter poterit decantari, tam est suauis ad gratiam, tam fecundum ad sensum, tam profundum ad mysteria. Tale enim est, quod a nobis considerari & discuti, prout dignum est, non ualeat. Ex eo autem quod suauiter sonat, mulcet affectum, & de sensuum ubertate mentem impinguat, & in sanctam sanctorum, Aduocatam scilicet nostram, dum eam quasi presentem salutat, omnia interiora nostra medullitibus inflammat. Operet enim ut nobis presentem esse dicamus, quam presentem salutamus, & totam animæ nostræ trinitatem in eam dirigamus, quam tam deuotis precibus exoramus. Agnoscit certe, & diligit diligentes se, & prope est in ueritate inuocantibus se. Hæc Bernardus. Quem cum palam omnes singularem Virginis MARIÆ haberent cultorem, eoque delectatum Cantico Spirensis clerus audisset, cum forte apud eos diuersaretur, ad templum cathedrale sanctissimum uirum inuitauit, eoque maxima populi septo multitudine in Ecclesiam Virginis Matris ingrediente, hoc Carmen in Dei Matris laudem elata uoce decantauit, ipsomet B. Bernardo ter positus genibus succinente,*

O CLEMENS,

O PIA,

O DULCIS VIRGO MARIA.

In cuius rei memoriam hæc ipsa uerba, tribus æneis incisa laminis, iisdem locis humi positæ, etiamnum Spiræ uisuntur. B. Bonauentura ducentis annis post primum huius Carminis auctorem, idem Carmen pijs uersibus, aut rithmis celebrauit; alique deinceps eruditi sanctique uiri, cum tot in carmine isto affectus uiderent,



rent, insignesque laudes Matris Dei scripturis non repugnantes, sed tanta Virgine dignas, illud Canticum tanquam diuino spiritu datum, ubique per Romanam Ecclesiam approbarunt, predicarunt, receperunt, totisque quingentis annis magno consensu in templis usurparunt, & nihil in eo nisi sanctum, uerum, pium, religiosum obseruauerunt. Quibus motus Gregorius IX. ex familia Camaldulensi, Romanus Pontifex, qui anno 200. ab huius sacrae antiphonae compositione mortuus est, auctoritate Pontificia Canticum illud approbauit, & quod tunc in Germania & Gallia tantum, ceteris diuinae rei horis, ut auctor est Abbas Urspergensis, praesertim post Completorium, per omnes Orbis totius Ecclesias decantari praecipit. Cui adiunctum & sequens, ab eodem Hermanno compositum, a prima Dominica Aduentus, usque ad Purificationem decantandum, quod est huiusmodi:

Alma redemptoris mater, quae per uia coeli  
 Porta manes, & Stella maris, succurre cadenti  
 Surgere qui curat populo: tu quae genuisti  
 Natura mirante tuum sanctum genitorem.  
 Virgo prius, ac posterius, Gabrielis ab ore  
 Sumens illud Aue; peccatorum miserere. Alleluia.

Fuit autem Hermannus Vuolferadi, & Hiltrudis Comitum filius, obiitque doctrina & pietate clarus anno Domini 1054. in praedio suo Aleshufen, ibique sepultus est.

ANNOTATIO.

Auctores praecipui qui de Hermanno tractant, quiq; Inuentorem, & auctorem, eorum quae diximus, assenerant, sunt F. Iacobus Philippus Bergomensis Ord. Eremitarum S. Aug. in suppl. chron. lib. 2. ubi inter cetera sic loquitur: Immo composuit dulci melodia diuersos cantus, atq; in honorem beatissimae Virginis Mariae, pulcherrimas ac plurimas edidit & decantauit laudes, quas inter illa celeberrima habetur, quae incipit, Salue Regina Misericordiae, & Alma redemptoris Mater. Item Tritemius de script. eccles. in haec uerba: Composuit etiam dulci & regulari melodia cantus & profas pulcherrimas, e quibus est illa de Beata Virgine Maria dulcissima, Salue Regina, & Alma redemptoris mater. Et de uir. ill. ord. S. Ben. lib. 2. c. 84. Hymnos quoque, antiphonas, & cantus, dulces uariosque edidit, quos in Ecclesia Dei cantari ex parte conspiciamus. Hic Hermannus composuit



fuit deuotam illam antiphonam in laudem Beatæ Dei genitricis Mariæ, uidelicet; Salue Regina Misericordiæ, &c. Quam ad eius honorem uniuersa frequentat Ecclesia. *Idem confirmat & in chron. Hirsaugie, & lib. de luminaribus Germaniæ. Accedit & F. Paulus de Rosado Ordinis Prædicatorum, in conuiuio animæ, sic inquit, Venerabilis Hermanni Contracti Monachi, dulcis ad Reginam misericordiæ salutatio siue Antiphona, Salue Regina mater misericordiæ. Gilbertus etiam Genebrardus Gallus lib. 4. chron. sic ait, Hymnos etiam dulci melodïa composuit (scilicet Hermannus de quo loquitur) ut Salue Regina misericordiæ, & alia multa. Necnon & F. Petrus Cratepelius Minorita hoc de eo encomiū refert, Eius studio Ecclesia toties, Salue Regina, ad Dei matrem congeminat. Postremo, ut centum alius omittam, id cōfirmat R. P. Franciscus Costerus societatis Iesv loco supradictato, sic inquit; Nobilis quidam, & religiosus uir, sacratissime Virginis cultui comprimis addictus, Hermannus Contractus, Comes de Veringen, monasticam uitam professus ad regulam S. Benedicti, in monasterio S. Galli, conscripsit Canticum, seu Antiphonam in Virginis Dei Matris honorem, sub an. D. millesimum quadragentesimum, cuius initium est, Salue Regina Mater Misericordiæ, &c. Consentit & Gulielmus Durandus lib. 4. c. 22. de diu. off. de Sequentiis, & antiphona, Alma redemptoris, tantum: nam de Salue dissentit, dicit enim Petrum Episcopum Compostellanum eius fuisse auctorem; cuius opinionis sunt & Iacobus de Voragine, ac frater Claudius de Rota in legendario sanctorum, c. 177. Horum tamen sententiæ contradicunt, communis Ecclesiæ Catholice consensus, & præfatorum historiographorum auctoritas, à quibus, & a permultis alijs præsertim recentioribus, quos breuitatis causa prætereo, Hermannus noster eius agnoscitur antiphonæ inuentor, non uerborum tantum, sed etiam notarum, & modulationis ipsius cantus dulcissimi. Et licet Petrus ipse Compostellanus auctor ipsius antiphonæ creditur, nihil inde gloriæ Benedicte ordini minuitur. Duos enim, monachos ambo, lego in Ecclesia Compostellana Episcopos huius nominis: unum de Monsorio dictum, monachum & Abbatem monasterij quod Ante Altaria vocatur, creatum anno 981. alterum, monachum & Abbatem S. Petri de Cardena, factum anno 1095. & cum in præfata Ecclesia alij huius nominis non reperiuntur (nisi forte sint aliqui recentiores, & nostri seculi) necessario sequitur, ut ab eorum uno composita dicatur; quod cum ita sit, ut reuera fatendum est, certum sit, quod siue a Petro, siue ab Hermanno, Salue regina, antiphona, composita fuerit, a monacho Benedicte edita cognoscatur, ita ut monastico Benedicte ordini hanc laudem tribuat.*



lus subripere possit, quæ talis est ac tanta, ut parem ferè in terris non habeat, ob suauissimos fructus qui ex huius deuotissima Antiphona recitatione, & decantatione, in Ecclesia sancta Dei nati sunt: ut legere est in historiis RR. PP. Prædicatorum Ord. S. Dominici; speculo exemplorum; Martialis & aliis miraculorum S. Mariæ Virginis libris. Putatur à Tritemio, & aliis suis sequacibus fuisse monachus sancti Galli, quorum opinionem nequaquam admitto: in MSS. enim, & ultimo chronico excuso an. 1385. monachus Augiensis ubique vocatur, & ex eiusdem Chronici locis aliquot recte colligi, ac comprobari id posse uidetur; Ut sub anno Domini 1048. ubi ait, Imperator Augiam nostram ingressus: nouam s. Marci Euangelistæ patroni nostri basilicam: & infra, festo S. Marci apud nos acto, & c. item sub anno 1053. ait, Vuerinharius frater meus Augiensis monachus, & c. Sunt & alia, quæ Augiensem monachum, et non Sangallensem, fuisse testantur, sed hæc dixisse sufficiat.

### D. ABBAS S. NICOLAI:

Festiuitatis Præsentationis S. Mariæ Virginis, institutor primus.

qui

Constituit diem solemnem in mense octauo, in similitudinem solemnitatis. 3. Reg. 12. Cap. CVI.



NON prætermittendus mihi uisus est licet nomine careat, Abbas ille cœnobij S. Nicolai in Normandia, ordinis Diui Patris Benedicti, qui Abbatis habitu, Præsentationem Diuæ Virginis Mariæ in tabula depictam manibus tenentis, cuius festi auctor primarius extitit, ultimo huius Rami, necnon & totius Arboris loco conspicitur. Instituta autem fertur temporibus Caroli quinti Francorum Regis, anno Domini 1375. eadem ferè de causa, & eodem miraculi genere, quo Conceptionis eiusdem festum diem ab Anselmo Priore, in superioribus institutum diximus. Recepta igitur hæc festiuitas ex huius Reuerendi Abbatis instituto primum in Galliis, ad Saxones postmodum transit; mox ad Siculos: demum & a summis Pontificibus approbata, etiam his nostris temporibus an. 1585. a Sixto V. an. sui Pontificatus primo, diplomate roborata est, & ut ubiq; terrarum obseruaretur præceptum. Hæc ex legenda hist. Præsentationis, quæ extat apud nos MS. per manum fratris Aegidii Bethuniensis, quoddam mei in monastica disciplina præceptoris.

EPI-